No 848.

CURRENDA IV.

A. D. 1857.

Nr. 420.

Tributum aequivalens ad expensas a reditibus beneficii defalcandas non computatur.

Vigore Rescripti Alti Ministerii Cultus et Stud. de 4. Decemb. 1856 Nr. 18.785 ab Exc. C. R. Provinc. Regimine Cracov. de 25. Jan. a. c. Nr. 38.195/56 intimati tributum **aequivalens** (Gebühren=Aequivalent) ad classem tributorum **indirectorum** deputatur et qua tale in Congruæ emensurationem nullum exerit effectum, seu non indemnisatur, si Congrua idcirco defectum pateretur. Quod pro notitia Ven. Clero abhinc publicatur. Tenor originalis est sequens: Z. 38.195/56. „In Betreff der in Anregung gekommenen Frage, ob den durch die Entrichtung des Gebühren=Aequivalentes in ihrer Congrua verkürzten Geistlichen eine Congrua=Ergänzung zu gewähren sei, hat sich das hohe k. k. Ministerium für Kultus und Unterricht mit dem hohen k. k. Finanz=Ministerium über die Natur dieser Steuer in das Einvernehmen gesetzt.

Das hohe k. k. Finanz=Ministerium erklärte unterm 24 November lauf. Jahr. Zahl 27.724/1125, daß das Gebühren=Aequivalent zu den indirekten Steuern gehört und daher auf das Ausmaß der Congrua keinen Einfluß übt.

Nr. 802.

Artefacta consignanda, conservanda, arteq. restauranda commendantur &c.

A Sua Apostolica Majestate Vindobonæ creata existit centralis ad exploranda, delineandaque architecturæ vel picturæ munimenta Commissio (Central=Commission zur Erforschung und Erhaltung der Baudenkmale ꝛc. in der öster. Monarchie) cujus scopus jam secundum tituli significatum in eo reponitur, ut cuncta objecta jam ob antiquitatem, jam ob historiam, aut ob artem veneranda exquirantur, depingantur, publicentur, conserventur, technice renoventur. .. queis sensus religionis, artisve in populo foveatur, augeaturque.

Eadem ipsa Commissio Litteris de 26. Jan. a. c. N. 392 ad Nos datis Clerum principalem ab antiquissimis temporibus monumentorum, artefactorumq. Conservatorem, nec non sedulum artis Cultorem deprædicat, simulque significat, in omni vastissimi Imperii austriaci provincia designatos esse Conservatores et Correspondentes in objectis architectonicis ac archæologicis, quos ut Venerab. Clerus in rebus memoratis requisitus attentos reddat, aut informationibus adjuvet, a Perillustri Præsidio Viennensi salutatur.

Pro Regno Gal. et Lod. in eisdem Litteris Conservator declaratur MD. Eques de Stroński, C. R. Consiliarius ac Leopol. Universitatis Bibliothecarius; Correspondentes vero publicis in plagellis denominabuntur.

Quibus de tanto prælaudatæ Commissionis scopo et V. Cleri interventu expositis, innuendum potius, quam imponendum esse statuimus, ut Venerab. Fratres quæcumque memoratu digna sive in sive extra ædes sacras, sive in vasis, sive indumentis, altaribus, mausoleis capellis, supellectili Esiæ aut bibliothecis, Missalibus, Gradualibus, Ritualibus... memoratu digna sciatis, desuper in promptu habeatis descriptionem, cujus copiam vel MD. Conservatori mittatis vel Correspondenti vicino admanuetis, vel juxta eandem respectivos oraliter informare haud negligatis.

Penes hanc occasionem silentio nequaquam premere possumus observationem tristem, quod varii Esiarum Rectores aut sensu pulchri, sive æsthetico destituti, aut notitia de multiplicibus architecturæ stylo: græco, byzantino, lombardico, gothico, germanico, vel picturæ varietatibus apud nonnullas nationes genuinis, sive scholis, sensim plura circa vel intra ædes sacras ob antiquitatem vel artem æstimanda, inepta restauratione destruxerunt.

Stylorum, artefactorumq. ignaris externi templorum gothicorum muri non incrustati dealbatiq. haud placent, idcirco vix quiescunt, donec ejusmodi parietibus albam suppeditent vestem, atq. ignorantia sua stylum architecti genuinum e medio tollant. Eadem sors obtingit imaginibus vetustis; nam sæpe, quamvis eximii respectu æsthetico valoris, attamen quia coloribus detritis oculum rudem vix afficiunt, per imperitos pictores levi pretio renovari curantur, qui colores solummodo crassos applicare, non vero ideam originalis pictoris reddere artificiumq. ejus repræsentare sive reproducere norunt. (Arcydzieła, lub dzieła sztuki na karikatury, bohomazy przekształcają.)

Deploranda hujuscemodi stylorum, artefactorumq. imperitia, quæ tot tantaq. excultæ artis opera oculis peritorum subtraxerat!

Lecturam operum articulorumve de variis architecturæ stylis et picturæ scholis, de artefactisq. tractantium hisce commendantes, obstringimus Curatorum et Administratorum quemque, ne sine prævio peritorum consilio vetusta monumenta, altaria, imagines, capellas, ecclesias respectu dignas &c. renovare constituant, neve posteriores cubiculorum instar depingere præsumant.

Quemadmodum nationum linguæ et vestitus suis regantur ac reficiantur modulis: ita artificum opera quoq. juxta proprium stylum scholamq. genuinam restaurentur, templa vero ceu domus Dei aliter ac cubilia exornentur oportet.

Demum attentionem dirigimus ad statuas, figuras aut imagines deformes hinc inde collocatas; ad picturas novas vili pretio per opifices, non artifices confectas, quibus altaria, vexilla, feretra, parietes exornat populus rudis, ast queis suppeditatur ansa non cavillandi solum gustum rudem, depravatum, sed et ludibrio exponendi res sacras; et ad fabricas ejusmodi in locis indulgentiarum statuarum, figurarum, imaginum, vexillorum &c. provocantes, ut Ven. in Xto Fratres imprimis inæstheticos ejusmodi fabricatores, imo et populum fidelem puncto deformitatis in religiosis tantæ, cum prudentia pastorali reflectant, nec non elegantibus imaginibus in schola vel ecclesia distributis, aliisq. mediis sensum pulchri aut excitare aut instillare excolereque satagant.

Nr. 824.

Liber pro inscribendis Baptisatis ex aliena parochia introducendus demandatur &c. &c.

Frequenter accidere solet, quod patrini absente proprio parocho, aut tempestate exundationeque exorta ob vicinitatem, in periculo mortis &c. ad propinquiorem alienæ parochiæ Rectorem pro sacro lavacro convolant, unde schedula peracti Baptismi provisi quamvis cum mandato ablegentur, ut eam sedulo custodiant, moxq. proprio Curato præsentent, qui juxta ejus tenorem, actum, de quo loquimur, libro baptisatorum inserat; attn eam vel in via perdant, vel præsentationem differant vel plane omittant, quo in casu collatio Sacramenti Regenerationis nullibi inserata habetur, cujus extractus sæpenumero postmodum summe necessarius frustra requiritur, utiq. cum muneris pastoralis contumelia nec non partis requirentis aut totius familiæ detrimento.

Ut ejusmodi infortunia a cervicibus futuræ sobolis propulsentur, ordinandum esse censemus, ut **a)** *Liber Baptisatorum ex alienis parochiis* in locis, ubi memorati casus accidunt sine mora si nedum existit, introducatur, in quo singula hujusmodi functio pro aliena parochia inscribatur: et **b)** schedula peracti Baptismatis potius officiose, quam privatim respectivo Rectori Esiæ alienæ extemplo transmittatur, qui tenorem ejus suo in loco statim ingrosset.

Perillustres DD. Decani sub Visitatione ad executionem Mandati præsentis oculum dirigant, defectumque in Operato adnotent una cum dispositione, qualem in loco dictaverint.

Insuper, quia similis defectus in metricalibus quandoque etiam tunc, si proles in propria Esia aut parochia baptisetur, detegitur, iterum inculcandum reputamus, ut illico actus collationis hujus Sacramenti sive ex aqua tantum ob aliquam gravem rationem baptisetur, respectivo libro inseratur.... juxta præscripta vigentia.

Procedura quoad separationem a thoro et mensa

juxta Instructionem pro judiciis eccles. de a. 1855.

Arbitraria separatio interdicitur.

§. 205. „Absque conjugali vitæ consortio obligationes per matrimonium contractæ impleri nequeunt: ipsum igitur in casibus tantum a lege ecclesiastica statutis et respective in forma a lege ecclesiastica proscripta solvere licet.“

Separatio mutuo consensu facta.

§. 206. „Conjuges mutuo consensu vitæ corsortium eum in finem solvere possunt, ut religionem a Sancta Sede approbatam ingrediantur vel ambo vel et una tantum pars, aut, ut vir ordines sacros suscipiat. An et quibus sub conditionibus altera pars in sæculo permanere possit, juxta legum ecclesiasticarum præscripta decernendum est.“

Separatio perpetua adulterii ergo.

§. 207. „Quodsi conjugum alter adulterii crimen commiserit, alteri jus competit, perpetuam a thoro et mensa separationem petendi, nisi forsan adulterium approbaverit, permiserit vel sua culpa adduxerit, aut ipse quoque adulterii reum se reddiderit. Jure suo excidit, quodsi alteri parti culpam expresse vel tacite condonet.“

Causæ separationis temporalis decernendæ.

a) §. 208. „Conjuges ad vitæ consortium eatenus tantum obligantur, quatenus id absque animæ, vitæ, vel sanitatis periculo continuare possunt. Quodsi conjux a fide christiana deficiat, quodsi alteram partem ad defectionem a fide catholica, ad vitia vel crimina sollicitet, quodsi injuriis realibus vel insidiis vitam ejus et sanitatem in periculum adducat, quodsi ei acerbiores animi afflictiones per longius tempus intentet, etiam, quando malo corporali diuturno contagiosoque laboret, alteri parti supplicatione proposita, concedendum est, ut a thoro et mensa separetur, usquedum conjugale vitæ consortium, quin periculum saluti suæ aeternæ vel temporali immineat, renovare possit.“

b) §. 209. „Conjux, quem altera pars malitiose deseruit, separationem a thoro et mensa petere potest, usque dum desertionis reus animum ad officia conjugalia adimplenda paratum sufficienter probaverit.“

c) §. 210. „Etiam propter tales officiorum transgressiones, quæ juribus bona temporalia attinentibus vel honori civili alterius conjugis grave afferunt detrimentum aut urgens parant periculum, temporalis a thoro et mensa separatio pronuntiari potest.“

Actio de separatione a thoro et mensa.

Reconciliationis procurandæ tentamen.

§. 211. „Conjux, qui separationem obtinere desiderat, ante omnia parochum adeat suum. Hic utramque partem vocabit et cuncta, quæ lex Dei et fœderis conjugalis dignitas suppeditat. motiva graviter simul et amanter adhibebit, ut conjugale vitæ consortium intactum servetur. Si animos conciliare non valeat, secundo et tertio id ipsum, octiduo saltem quavis vice interposito, efficere conetur. Tertium tamen ommitti potest experimentum, quando animorum exacerbatio successus spem adimat; aut in patulo sit, actorem vitæ consortium continuare non posse, quin æternam aut temporalem salutem urgenti exponat periculo.“

§. 212. „Si reus comparere recusat, parochus jus habet, eum magistratus civilis interventu ad obedientiam prostandam compellere. An præsentia coactione obtenta finem juvare possit, secundum rerum adjuncta dijudicandum erit.“

§. 213. „Quodsi parochus frustra laboret, eo de negotio ad Præsidem tribunalis matrimonialis referre et casu, quo conjuges bis tantum vocaverit, causam, ex qua tertium experimentum omiserit, accurate exponere debet. Addat insuper, an et quatenus gravamina allata ipsi fundata videantur.“

Commissariorum ad inquirendum deputatorum constitutio.

§. 214. „Quivis Episcopus in remotioribus diœcesis suæ partibus ecclesiasticos viros in commissarios nominabit, qui deputati sint ad inquirendam super actionibus separationem a mensa et thoro attinentibus, et secretarium ad protocollum excipiendum eis adjunget.“

Quomodo separationis decernendæ petitio apud judicem proponenda.

§. 215. „Actor petitionem suam vel apud ipsum Tribunal matrimoniale vel apud Commissarium, intra cujus districtum domicilium habet, aut scripto porrigere aut in acta redigenda

oretenus exponere potest. Causam, ex qua jure se vitæ communitatem tollendi pollere arbitratur, accurate exponere ac probationis præstandæ media indicare debet. Edicendum præterea tempus, cujus hucusque lapsu matrimonium duraverit et, quod si liberi ex eo procreati sint, numerus eorum et ætas. An et in quantum conjuges separationem quoad thorum mensamque intendentes curiam episcopalem adire possint vel debeant, ab Episcopi ordinatione pendebit.“

Decretum de inquisitione habenda.

§. 216. „Separationis decernendæ petitio tribunali proponatur matrimoniali, quod, nisi rationes aperte insufficientes sint, ad investigandum super negotio procedet. Quando res in tribunalis matrimonialis sede pertractetur, aliquis ex judicibus in id muneris qua commissarius deputetur.“

Personalis conjugum præsentia.

§. 217. „Inquisitionis erga ambo conjuges personaliter comparere tenentur. Quoad advocatos et declarationes vel assertiones ab eisdem prolatas ad normam §. 143*) procedendum est.“

Inquisitio prævia.

§. 218. „Primo tentandum est, an negotium absque probationibus in rigore juris talibus terminari possit. Conjuges singuli examinari atque tum sibi invicem confrontari debent. Quilibet parti assertiones alterius una post alteram ordine, quem successus temporis vel nexus inter causam et effectum iudicat, proponendæ sunt, et instandum, ut præcise respondeat. Si una pars ad instrumenta privata provocet, altera interroganda venit, an eadem genuina agnoscat. Testes, quos partes nominaverint, in quantum adhiberi possint, examinandi, ac, si necessarium videatur, sibi invicem nec non conjugibus confrontandi sunt.“

§. 219. „In hac prævia inquisitione qua testes tales quoque admittantur personæ, quarum depositiones probationem judicialem fundare non possent, apud quas autem accurata factorum, de quibus quæstio versatur, notitia merito supponitur.“

§. 220. „Commissario ad inquirendum deputato competit, personas, quarum depositionibus quæstionem facti dilucidatum iri sperat, etiam, quin partes qua testes eas designaverint, interrogare. An conjugibus confrontari debeant, prudenti ejusdem judicio relinquitur.“

Post præviam inquisitionem ordinanda.

§. 221. „Protocollum de inquisitione prævia exceptum tribunali matrimoniali proponendum est, et quando (ea), ad quæ actor provocet, per confessionem rei vel per instrumenta, quæ omnem exceptionem excludant, extra dubium jam posita sint, tribunal matrimoniale ad sententiam ferendam procedere debet. Casu opposito processus probatorius instituendus est.“

§. 222. „Reo, si postulet, petitionis ab actore scripto propositæ vel actorum, in quæ oretenus facta redacta sit, copia dimittenda et terminus statuendus, intra quem responsionem vel scripto offerat vel in acta redigendam viva voce exhibeat. Alias separationis pronunti-

*) Norma hæc ita sonat: »Conceditur quidem, ut (conjuges) advocatos secum adducant, et antequam declarationem exhibeant, eorum consilium expetant; verum eæ tantum declarationes, quas ipsimet pronuntiant, qua ipsorum mentem explicantes protocollo inserendae sunt. Quodsi advocatus proprio nomine quædam casum matrimonialem attinentia deponat, hæc ita excipienda et tractanda sunt, quomodo excipi et tractari deberent, quando ipse haud qua advocatus comparuisset. Advocato negotium perturbante Commissarii est statuere, ut loco excedat.«

andæ petitio ipsi prælegatur et quæ ad se et conjugale vitæ commercium tuendum afferat, in acta redigantur.“

Processus probatorius. Testes.

§. 223. „Admittendi sunt testes, quibus ea, contra quam deponunt, pars exceptiones haud obgerit, etsi aliunde qua suspecti vel inhabiles repelli deberent.“

§. 224. „Quando domicilium testium ab inquisitionis loco notabiliter distet, ad eorum examen loco, quo facilius se conferre possint, instituendum vir, quantum fieri possit, ecclesiasticus deputandus est. Quodsi extra diœcesis limites habitent, agendum cum Episcopo, cui subsunt, ut de eorum depositionibus excipiendis, quæ oportet, constituat. Testes, qui prope tribunalis matrimonialis sedem habitant, nunquam non apud tribunal matrimoniale examinandi sunt.“

§. 225. „Quæstiones concipit commissarius ad inquisitionem deputatus ratione habita punctorum interrogatoriorum, quæ partes forsan obtulerunt. Quoad jusjurandum testium observentur normæ §. 162*) statutæ.“

§. 226. „Ad juramentum a testibus deponendum partes vocari debent; attamen quod non compareant, haud impedit, quominus jusjurandum excipiatur. Partibus non licet examini testium adesse, atque depositiones, antequam examen terminatum sit, publicari haud debent.“

Inquisitio per rei peritos instituenda.

§. 227. „Rei periti, quorum consultum necessarium forsan sit, a commissario ad inquirendum deputato seligendi sunt; de exceptionibus eis oppositis tribunal matrimoniale decernit. Jusjurandum a rei peritis exigi debet, nisi juramento in munere adeundo deposito se ad veritatem in consultis dandis sancte servandum obstrinxerint.

Probatio plena per testes aut rei peritos efficienda.

§. 228. „Per depositionem conformem duorum testium juratorum et fide undequaque dignorum, nec non per consultum conforme duorum rei peritorum, qui scientiæ jam documenta prostiterint et a partium studio alieni sint, ac respective jurati, factum, circa quod depositio vel consultum versatur, plene probatur.“

Adulterium probandi modus.

§. 229. „Ut adulterium in finem separationis a mensa et thoro probetur, sufficiunt præsumtiones violentæ. (Voraussetzungen: supozycyje z wielkim bardzo stopniem prawdopodobieństwa). Facta vero, quibus præsumtiones hæ innituntur, juxta normas processum in delictorum causis attinentes probanda veniunt.“

Communicatio ad partes dirigenda.

§. 230. „Protocollum examinis testium partibus vel prælegendum vel scripto communicandum est; si consultum a rei peritis datum fuerit, de hujus pariter tenore instruendæ sunt.“

Finale conjugum examen.

§. 231. „His peractis ambo conjuges commoneri debent, ut de testium depositionibus vel rei peritorum consultis sensus suos exponant. Si nova instrumenta, vel de instrumentis,

*) §. 162 talis tenoris: „Testes, antequam examinentur, tactis sacrosanctis Dei evangeliis jurare debent, se de interrogationum ad eos dirigendarum objecto veritatem, quo modo eam coram Deo et conscientia compertam habeant, plene ac intemerate, quin aliquid addant, omittant, vel immutent, edicturos fore. Congrua de jurisjurandi sanctitate admonitio præmittatur.“

quæ in inquisitione prævia dubiis obnoxia remanebant, novas probationes afferant, pars adversaria hac de re audienda est."

Rei confessio.

§. 232. „Confessio conjugis, contra quem separationis actio intentatur, plenam efficit probationem."

Quatenus conjugum juramentum admitti possit.

§. 233. „An juramentum suppletorium ex parte conjugum concedendum, an juramentum litis decisivum uni eorum imponendum vel permittendum sit, a tribunali decerni debet: quo in negotio ante oculos habendum est, in genere jusjurandum partium tunc tantum admitti posse, si omne aliud veritatem eruendi medium defecerit, et animorum exacerbationem, qualis in conjugum litibus obtinere solet, perjurii augere periculum."

Reo non comparente agenda.

§. 234. „Si conjux in jus vocatus citatione facta non compareat, juxta normam §. 145*) statutam procedendum est."

§. 235. „Quando actio propter desertionem malitiosam instituatur, absenti in prima statim citatione præfigatur terminus, in quo dimetiendo distantiæ atque mediorum commucationis ratio prudenter habeatur. Quodsi ubi commoretur, ignotum sit, per ephemerides publicas citari debet termino præfixo, quem tribunal matrimoniale omnibus perpensis circumstantiis constituerit."

Quatenus actoris sustentationi providendum.

§. 236. „Quodsi actor asserat, se conjugale vitæ consortium continuare non posse, quin salutem animæ vel vitam et sanitatem magno exponat periculo, atque casu, quo separatio legitime pronuntiata foret, reo obligatio incumbat, alteri conjugi honestam procurare sustentationem, tribunal matrimoniale perpendere debet, an sufficientes præviæ ordinationis causæ prostent, quas si haberi judicatum sit, a judice sæculari petendum est, ut actori habitationem separatam et sustentationem honestam rei impensis prævie assignet."

Quatenus sententia Episcopo subjicienda.

§. 237. „Episcopus, si pro casus natura necessarium duxerit, ordinabit, ut, antequam sententia feratur, tribunal matrimoniale, quæ decernenda censeat, ipsi proponat. §. (178)"

Quaenam in sententia exponi debeant.

§. 238. Quavis sententia separationem pronuntiante exprimendum est, an causa separationis, quatenus culpa ei insit, uni tantum vel ambabus partibus imputari debeat. Quodsi ex peractis eluceat, patrem vel matrem propter defectus morales non eos esse, qui jus educationis iis competens in liberorum salutem exercere possint, istud quoque in sententia exprimatur."

Appellationes in causa separationis.

§. 239. „A decisione tribunalis matrimonialis conjux, qui ea se gravatum arbitretur, ad secundam instantiam provocare potest. Duabus sententiis conformibus latis ulteriori appellationi locus haud superest."

---

*) §. 145. „Conjugibus, qui citatione facta non comparent, aliam quam incompetentiæ excusationem prætendentibus, de eadem vel admittenda vel rejicienda Tribunal judicabit. Convenienti ex causa, ut terminus prolongetur, concedi potest. Si rationes adductæ minus firmæ inveniantur, vel quando quis nulla excusatione proposita comparere neglexerit, terminus eis pro domicilii distantia dimetiendus statuatur. Eo elapso a Judicio sæculari, ut citatos ad comparendum adigat, petendum est. Casu, quo petitio ista ex qualicunque causa effectum haud sortiatur, procedura etiam absque citati præsentia inchoanda est."

§. 240. „Sententia de separatione a thoro et mensa pronuntiata nulla est, si a judice non competente lata vel actus judicii essentialis omissus fuerit. Causa nullitatis secundum normas §. §. 187. 188. stabilitas pertractanda venit.“

Quorumnam ratio habenda.

§. 241. „Quod conjuges in vitæ consortium solvendum consenserint, legitimam separationis decernendæ causam non subministrat. Attamen formalitates præter absolute necessarias cunctæ eo magis vitandæ sunt, quod actibus judicialibus animorum exacerbatio augeri, et reconciliatio difficilior reddi soleat. Jnsuper famæ partium et familiarum suarum quantum finis ratio permittit, consolatur oportet.“

Modus separationis causam tractandi, si rei confessio jam prostet.

§. 242. „Quando una pars ad facta provocet, quæ legitimam separationis postulandæ causam constituunt, et altera rem ita se habere haud neget, parochus animos sibi conciliare ter tentare debet. Conaminibus ejus effectu frustratis apud commissarium ad inquisitionem deputatum de accusatione et confessione excipiatur protocollum et res tribunali matrimoniali ad decernendum proponatur.“

Procedura extraordinaria.

§. 243. Quodsi facta a reo non negentur, et ut famæ partium parcatur, vel ex alia gravi ratione necessarium videatur, ut negotium quam secretissime pertractetur, partes immediate tribunalis matrimonialis Præsidem accedere possunt. Postquam iste compertum habuerit, legitimam adesse separationis causam, parochum vel pro re nata etiam alium sacerdotem admonitione trina concordiæ restituendæ experimentum facere jubeat, effectu haud subsecuto duobus tribunalis consiliariis adhibitis separationem pronuntiet. Tali casu, utraque parte petente, causa separationis in sententiæ tenore silentio premi potest. Hæc tamen ipsorum supplicatio protocollo de actu excipiendo inseri debet.“

Observanda circa ea, quæ bona temporalia attinet.

§. 244. Quoad postulationes et lites circa bona temporalia versantes, quæ ex sententia in causa quadam matrimoniali lata oriuntur, partes ad judicium sæculare remittendæ sunt. Si ambæ unanimes petant, ut ea de re a tribunali matrimoniali arbitrii modo decernatur, injungendum ipsis est, ut de transactione, qua in hanc petitionem conspiraverint, instrumentum proponant. Minorennis admoneatur, quod ad transactionis hujus valorem patris vel tutoris consensus requiratur. Ceterum in arbitrio dando leges Austriacæ qua norma teneantur.“

§. 245. Quando uxor de invaliditate vel separatione actionem instituens petat, ut marito administratio bonorum suorum adimatur, aut ut ipse ad cautionem dandam pro bonis suis, quæ ejus in manibus versantur, adigatur, ad sæculare judicium remitti debet.“

☛ **In Currenda I. a. c. pag. 9. sub a) post:** pariunt, **addatur majoris claritatis ergo: jusitiæ publicæ honestatis** pro consanguineis in 1mo gradu confor. §. 35. Instr.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 12. Martii 1857.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski, Tarnoviæ.